


Beilagen.





Handschriftliche  
genealogisch-poetische Beschreibung  
des  
Nassau'schen Geschlechtes,

von  
den ältesten Zeiten bis zu Ende des 16. Jahrhunderts.

(Aus der Manuscriptensammlung der Königl. Bibliothek  
in Haag zum erstenmal abgedruckt.)

---

GENTIS NASSVACÆ  
ANTIQUISSIMÆ ET ILLUSTRISSIMÆ  
GENEALOGIA.

*Carminè heroico descripta, et brevibus notis in locis  
obscurioribus illustrata.*

AUCTORE JUSTO BILIO RHENOBURGIO.

AD

ILLUSTRISSIMUM ET FORTISSIMUM PRINCIPEM  
MAURITIUM NASS.<sup>M</sup>  
PRINCIPEM AURANIÆ;

*Nassovæ, Viandæ Catthorum et Dietzæ Comitem : Vesontii,  
Veræ et Vlissingæ Marchionem : Burg.<sup>m</sup> Antuerp.<sup>o</sup> : Ba-  
ronem Bred.<sup>o</sup> etc. Geld.<sup>o</sup> Holl.<sup>o</sup> Zell.<sup>o</sup> Zutp.<sup>o</sup> Trajecti  
et Transis.<sup>o</sup> Gubernatorem.*

HAGÆ COMITIS.

Anno MDIOXCVII. Mense Novembri.



AUCTORES QUIBUS IN HOC OPERE COLLIGENDO  
SUM USUS.

---

- V**etus liber manuscriptus lingua Germanica superiore.  
Liber manuscriptus in pergameno in monasterio Arnsteiniensi  
inventus, et Dillenbergæ asservatus.
- Tabulæ hæreditariæ inter Walravum et Ottonem Comites Nassa-  
vios anno 1255 confectæ.
- Tabulæ Weneri Saulhemii fratris minoritæ anno 1314 conscriptæ  
fundationem Clairendail et Adolphi Imp. famil. recensentes.
- Rhythmi vernaculi Harani undique excerpti.
- Duo fragmenta, alterum Gallicum, alterum Belgicum.
- Torneamentorum libri.
- Genealogiæ Eliæ Reusneri.
- Genealogiæ Ponti Heuteri,
- Peucerus.
- Vitæ Cuspiniani.
- Vitæ Petri Messie.
- Comineus.
- Sleidanus.
- Chron. Holl. vernacula.
- Chron. Brab. vernacula.
- Chron. Geld.
- Veteres Annales Geldriæ fasciculo temporum haud absimiles.
-



PROOEMIUM GENEALOGIÆ NASIIACÆ :  
in quo propositio operis. Etymon nominis Nas-iiaci.  
Partitio hujus gentis septuplex. Item præcipuæ res  
gestæ et insignia. Deinde invocatio et dedicatio.

**N**ON ego dictæ Jovis incunabula ficti  
THEBANIVE cano alcidæ : sed stemma virorum  
Nobilium, quo vix superest antiquius ullum.  
NASSUAGUM dico, cujus primordia cæcis  
Noctibus oppressa o utinam tam clara paterent,  
Inclyta quam virtus multorum splendet avorum!  
Non ita mens dubiis ageretur, sanguinis auctor  
Illius an fuerit primus, densa agmina quondam  
NASSUA SUEVOR. (¹) ad Rhenum qui duxit, ut acres

---

(¹) De Nas-ii-a locus est apud Cæsarem lib. 1<sup>o</sup> de bel. Gall. ni-  
mirum hic TREVIRI autem (questum veniebant) pagos centum  
Suevorum ad ripam Rheni consedissee, qui Rhenum transire  
conarentur. Iis præesse Nas-ii-am et Cimbream fratres. Cur  
autem a Nas-ii-a gentis hujus originem suscipimus, multæ  
sunt rationes. Primum vox ipsa Nas-au vel Nas-ou quæ rec-  
tius Latine præsertim a Romano lingue Germanicæ ignaro  
(qualis fuit Cæsar) exprimi posse non videtur quam Nas-ii-a.  
Caruerunt enim Romani diphthongo V et u forte pleniori bucca  
pronunciarunt, quasi dicas Nas-v-a. Et si penultimam lon-  
gam proferas ut in Thalia, nihil jam desiderabitur. Secundo  
locus, quem Cæsar Suevis (quorum dux erat Nas-ii-a) attribuit,  
qui etiamnum a gente Nassua trans Rhenum incolitur, ejus-  
que incunabulis ortum perennem dedit. Quod cum ex prim-  
orum Principum origine, tum ex oppidi Confluentis Advocatia  
(quæ ante multa secula penes hanc gentem fuit) liquide appa-



Romanos audens patriis averteret arvis.  
Nunc licet et nomen maneat, decus, et labor idem,  
Quis tamen affirmet? Miseras cum Teutona tellus  
Tot perpressa vices, careat scriptoribus ævi  
Illius, unde atræ res involvere tenebræ.  
Sufficiat potius genus hoc jam secula septem  
Ceum clarum fulsisse jubar, latasque dedisse  
Hinc illinc stirpes, (vastus qua ABNOBA tot urbes  
Despicit ac populos) quas inter GELDRICA celso  
Prima venit titulo : WISBADA hinc Cæsare creta;  
DILLENBURCHA vetus cui par indicit; et illam  
WEILBURGANA cohors sequitur, SARBRUCCIA et inde  
Clara domus cum BYLSTEINIS heu condita terris!  
Septima quas stirps AURIACUM concludit in orbem.  
Quid medios Electores hos inter euntes  
Enumerem? Quid magnarum urbium et excelsorum

---

ret. Tertio munus Nassuæ qui Suevorum aut Rex aut Dux fuit, quæ dignitas titulo sane penes Comites Nassavos mansit. Eos enim a Regia et Ducali stirpe ortos antiquitas tradidit : et præter testimonia quæ in Everardo hac de re adfero, uni etiam posterorum in Veteri lib. man. hunc titulum datum lego Eyn geborn Hertzaug von Swaben. Quarto quod Principes ex hac gente primi Suevas plerunque heroïnas uxores habuerunt. Quinto quod hæc gens tam est antiqua, ut primam ejus originem (si non hæc ea est) ex scriptoribus Germanis indagare non possimus. Plerosque enim Germaniæ scriptores antevertit. Accedit denique auctoritas Francisci Hottomanni qui in notis ad Cæsarem lib. 1<sup>o</sup> sic scribit. Non dubito quin Nassiam dicat qui nunc Nasovius et Cimbream qui nunc Zimber. Ut omittam in Cæsare mendum esse posse, quemadmodum in Comineo evenisse videmus apud quem lib. 6. Cap. 6. Le Comte de Naussau scriptum legimus pro Nassau, cujusmodi Lapsus multo facilior ante tot secula.



Temporum fundatores? Quid denique raros  
Invictosque Duces belli, quorum ille feroci  
PANNONIO excussit lauros WINDISQUE tremendis :  
Hic victis statuit SARAGENSIS alta trophea;  
Tertius et GALLOS memoranda strage fugavit;  
HISPANOQUE alii frænum injecere furenti.  
Assimiles FULVO quem monstrant arma LEONI  
CÆRULA, cumque illo coeli convexa petentes.  
Non opus hoc nostrum. Magnum namque exigat unus  
OTTO librum, unus et Engbertus, Gulielmus et unus.  
Unius at stirpis seriem thalamosque referre  
Unde sati heroes BELGIS qui restituunt REM  
Est animus. Puræ vos aspiratæ Camoænæ.  
Tuque decus tanti generis sidusque Batavum  
NASSUADE placidus tibi sacros accipe versus.

---

EVERARDUS, COMES NASS. (¹)  
TUTOR CONFLUENTIS.

---

**N**OBILITAS longis si censeretur ab annis  
Et non egregio virtutum fonte, latentes  
Cujus et in sobolis miramur sanguine rivos :  
De Primo fateor vestri magis anxius essem  
Stemmatis auctore inveniando, annosque SEVERI (²)

---

(¹) De duobus his primis Comitibus fides est, ex veteri Genealogia Mechliniæ inventa : neque eos præposuisssem, nisi et nomina illorum cum Genealogia Moguntina convenire vidissem.

(²) Quemadmodum in veteri auctore anonymo Moguntinæ invento



Hinc vetro legerem, o venerandi heroes, ab ARVIS (\*)  
Abdita quers UDIS tribuerunt secula nomen.  
At cum prisca fides generi et virtutibus olim  
Jam fuerit vestris; consanguineosque (²) genusque  
REGUM et vos monumenta vocent; abscondita linquam  
Tempora, ne falsis videar confundere vera.  
Nec vano sudore gradus numerabo, caducis  
Miscuerint qui Cæsaribus vos, altior illis  
Cum Deus æternum vobis donarit honorem,  
Justitiæ et pietatis opes quibus itur ad astra.  
Talibus emicuit donis EVERARDUS ad undas  
Quem Rheni et glaucæ fama est habitasse Mosellæ

---

factum videmus, qui hanc gentem a nobili quodam Italo nomine Theodosio Imp. Severum in Germaniam secuto deducit, et mox magno relicto hiatu ab anno Christi 882 seriem suam pertexit, Comites Solimicos et Seinenses ab eodem fonte derivans.

(¹) NAS-AV enim madidum territorium significat, quæ vox ipsa antiquitatem gentis satis indicat: cum vetustissimæ et celeberrimæ Germaniæ regiones et urbes ab AV. deriventur, ut Mosc-au, Litt-au, Heneg-au, Pas-au, Crac-au, Warz-au, Presl-au, Ki-au. Unde etiam vir quidam nobilis non invenuste Bataviam et velaviam illam a pingui, hanc a sterili arvo dictam putat, quasi dicas Vett-au, Vael-au. Non enim temere majores nostri nomina rebus indidere.

(²) Annales enim veteres sic habent de Ottone Nassavio 1º Geld. Comite, hujus ab nepote. Die was van's Keysers bloede van Romen, en van den bloede van Swaben geboren. Et Lre. Imp. Ludovici Bavari de Rinaldo IIº Nassavio Geldriæ Duce sic testantur. Der gekommen is und geboren von viele synder voorvatteren und alteren von konincklicken stamme, und von Princen blut. Qui reges cum in linea descendenti ad Ottonem et Rinaldum non invenientur, certe eos in ascendenti linea supra Everardum fuisse necesse est.



NASSAVIO lætum imperio, mixtique fluenti, (¹)  
Hic nato SUEVA suscepto e conjuge JANO,  
OCCVbat, et patria CIneres ConDVntVr In Vrna.  
Anno 923.

---

JOANNES, COMES NASS.

---

**N**ON ita fatalis morienti finis acerbus  
Heroui fuerat; dura hæc primordia gentis  
Nomine ab exoso Regum ut sunt visa quibusdam.  
Ambitione etenim postquam insatiabilis unus  
Civibus oppressis Regni sibi sumpsit habenas  
JULIUS, unius crimen confertur in omnes.  
At non Ausoniis dixi de Regibus, asper  
Queis pro lege fuit nutus, quos TEUTONA nunquam  
Ora tulit: sed de Germanis, (²) libera quos gens  
Ad sceptrum natos placide est amplexa regentes.  
Namque piam immerita quis gentem aspergere labe  
Hac velit? Haud talem est expertus Belga Tyrannum  
Ardentem contra, properanti obnixa ruinæ  
Dum calido passim insignivit sanguine campos

---

(¹) Confluentis enim hi Comites Tutores sive Advocati (ut in veteri invenimus scripto) fuerunt.

(²) Quales nimirum eos Tacitus tradidit libro de moribus Germanorum, REGES (ait) ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt. Nec Regibus infinita aut libera potestas: et Duces exemplo potius, quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsent.



Haud alios JANUM mores (cognoscere stirpem  
Si licet ex ramis) credam coluisse. Parentis  
Ille auctus solio thalami consorte Sibylla (\*)  
SAXONE tres (²) genuit natos, quos maximus inter  
OTTO. Hinc WOLFGANGI conjunx pia SCHOUWENBUCHI  
HINC oblit, et CæCo Dant patres ossa sepULCRO.

Anno 956.

---

OTTO, COMES NASS. (³)

---

» Quid longas miseri spes, et prælustria mundi  
» Mortales captamus? Humi quid prendere fumos  
» Ipsi et humus fumusque studemus? Turbida tandem  
» Mors fumumque et humum per humum confundit in unum,  
» Umbrarumque avidos avidas nos mittit ad umbras.  
» Ipsa etiam vita est mors altera, candida nigris  
» Ni facta eripiant Lethæis nomen ab undis.«  
Contigit OTTONI hoc, summam cui tradidit Aucers  
Belli in PANNONIOS pugnaces, quos metuenda  
Fudit strage (⁴) virum, GERMANISQUE expulit arvis :

---

(¹) Sibylla, Ludovici Saxonis Comitis Palatini filia.

(²) Ottonem, Philippum et Georgium.

(³) De tribus sequentibus Principibus constat cum ex Ludorum  
Equestrium vulgo Torneamentorum libris : tum ex veteri li-  
bro in pergameno scripto, et in monasterio Arnsteiniensi (quod  
Walravus hujus nepos fundaverat) invento, et Dillenberga etiam-  
num asservato. Nonnihil etiam (ni fallor) ex Crantio aliisque  
auctoribus.

(⁴) Duplici strage. Primum enim eos in Saxonia quam populabundi



Nec minus et trucibus SCLAVIS WINDISQUE domandis  
Qui incubuit, verum ut possent addiscere CHORUM.  
Hoc opus HENRICO gratum; namque hoste fugato  
Victor MADBURGÆ (\*) certamen sanxit equestre,  
Fortis ubi nulli Comes hic concessit in armis.  
Utque sua possent lætari stirpe nepotes,  
SUEVAM connubio Comitem sibi junxit, et illa  
WALRAVUM est enixa, duasque ex ordine natas.  
Languenti heroi tandem importuna ruit mors  
NVnC IaCet heV LeCta segoDVnI (²) teCtVs arena.  
Anno 972.

---

### WALRAVUS, COMES NASS.

---

**P**ROGENIE dignus tanta WALRAVIUS, hæres  
Exstitit haud patrie tantum ditiois, avitæ  
Ast etiam virtutis iter sternentis ad astra;  
Asperaque in primis norat certamina Martis  
Nam forti natus cum fortis Cæsare Cæsar  
OTTO solennem luctam instituisset equestrem

---

(ut solita Cæsari extorquerent tributa) invaserant, devicit. Et novennales inducias capto illorum Regulo, impetravit. Et secundo ad Mersburgum, ubi Hungari ad 40 millia cæsi et internecione pene deleti sunt. Primo conflictui non intererat Cæsar, sed secundo.

(¹) Testantur scriptores hos ludos ab Imp. Henrico Aucupe primum esse institutos; et mox ab ejus filio Ottone Magno anno 940 privilegiis confirmatos.

(²) Segodunum voco Noribergam, auctore Hadriano Junio.



RODENBURGÆ, altis ubi TAUBERA fluctuat undis,  
Quo multi et comites venere equitesque nitentes,  
Hic validus teretem valide dum dirigit hastam,  
Promeret ingentem famam, et dona ampla reportat  
Nec mirum, toties quippe exornatus opimis  
Victorum spoliis, hostes pacare rebelles  
Dum studet Ottoni, GALLOS (¹) nova regna petentes,  
Et mala christigenum abjurantes sacra BOEMOS : (²)  
Nec minus implacidos dum se convertit in HUNNOS, (³)  
Horrido et illorum perterret sanguine LYCUM.  
Hinc auctus binis ignota e conjuge natis,  
Quorum alter cari referebat nomina patris,  
Alter avi; canus mortem subit, et Catharine  
ILLIVs CIneres ConDIt NVrIbVrga saCeLLO.  
Anno 1020.

- 
- (¹) Primum Ludovicum Gallorum Regem Caroli simplicis filium  
Alsatiam invadentem. Mox Hugonem Capetum Regnum Gallia  
capto hoc Rege affectantem. Quod utrique male cessit.
- (²) Boleslaum Boemiæ Ducem, qui fratrem suum Wenceslaum  
nefando parricidio, quod ad Christianos transiisset sustulerat :  
et bellum Imp. Ottoni Magno moverat.
- (³) Hungari enim clade illa qua ab Imp. Henrico Aucupe affecti  
fuerant non satis edocti, maximo in Germaniam redierunt ex-  
ercitu, et commisso prælio ad Lycum amnem non procul Au-  
gusta, internecione omnes deleti sunt. Hisce pugnis interfuisse  
Walravium testatur Haranus ex Torneamentorum libris, aliis-  
que monumentis. Et ampliora procul dubio apud auctores ex-  
tarent testimonia, nisi illi privatorum nomina neglexissent, et  
Principes hi defuncti gloriam istam contempsissent, eamque  
Imp. totam tribuissent, secundum veterum Germanorum ritum  
de quo Tacitus PRINCIPEM DEFENDIRE, tueri, sua quoque  
fortia facta gloriæ ejus assignare, præcipuum sacramentum est.



WALRAVUS ET OTTO FRATRES,  
COMITES NASS.

---

**N**ASSOI patrem cives gemuere : sed alter  
Postquam WALRAVUS suscepit scepra, BOEMIS (\*)  
HENRICI auspiciis NIGRI durisque CROATIS  
Qui frænum imposuit, SARACENO et sanguine rivos  
Infecit CAPUÆ, dolor imo e corde recessit.  
At quamvis natu minor OTTO, non tamen illo  
Aut pietate minor, dubio vel Marte regendo.  
Claræ etenim meruit (†) virtutis pondere fidi  
Egregiam GELDRI natam TUTORIS Aleidam,  
Quæ sceptro patrios servabat sola colonos.  
Unanimi hoc PROGER. consensu : namque tueri  
Posse hunc arva manu vel opima pace sciebant

---

(\*) Hisce bellis Boemico nimirum Pannonico et Saraceno interfuisse Walravum et Ottonem, cum ex aliis monumentis; tum ex Peuc. lib. 5 liquide apparet. Ubi sic ait. GENTEM Nassaensem in bellis Italicis Henricorum seculo rebus pro imperio fortiter gestis inclarusse, et ut ea donaretur ditione in qua nunc late imperitat in plures disseminata familias, ut pleræque ad Rhenum familiæ Comitum certum est. Sed ab exiguis initiis eo potentia progressa est, ut non tantum inter vicinos Comites ultra citraque Abnobios montes qui Cattos ab Angrivariis et Westfalibus dividunt, Principem sit consecuta locum : sed etiam ad fastigium Ducum conscenderit, et ditioni augustæ multas alias ampliores adjecerit.

(†) Anno 1070 secundum Haranum. Ego tamen id anno 1061 contigisse credo. Quia Otto qui anno 1107 obiit, Geldriam annos 46 rexisse dicitur.



Adfuit eventus : nam GELDROS rite tuentem  
Cæsar TATOREM Comitatus (¹) auxit honore,  
NASSAVII heroes quem post fecere Ducalem. (²)  
WALRAVUS pulchræ sociat connubia natæ  
ARNSTEINI Comitis, ROBERTUM nixibus illi  
Quæ dedit, ARNOLDUMQUE, sui simulachra parentis,  
Cumque quater denos annos rexisset et octo,  
Morte perlit, servatqVe Lapis NorebergIVS ossa.  
Anno 1068.

---

ROBERTUS ET ARNOLDUS FRATRES,  
COMITES NASS.

---

**O** quam de dubiis rebus WALRAVE jacentem  
Junior HENRICUS (³) luxit, solitumque paterni

---

(¹) Anno 1079 secundum Haranum. Chron. Holl. divis. 4. cap. 3. et fasciculum temporum.

(²) Reinoldus anno 1329 Francofurtiæ per Ludovicum Cæsarem in conventu primus Creatus est Geldriæ Dux. Casp. Munster in sua Cosmographia.

(³) HENRICUS IV. Imperator. Francorum Dux. Henrici NIGRI filius cujus expeditionibus hi fratres interfuisse, et res maximas gessisse traduntur. Ille enim puer septennis sub tutela matris imperium adeptus, varios et acerbos expertus est fortunæ casus. Sexagies enim et bis annis 48 quibus regnavit collatis signis conflictit. Cum in bello Germanico quod contra competitores suos Rudolphum Sueviæ Ducem, Hermannum Luceburgensem, et Egbertum Mysiæ Comitem fraude Pontificis Gregorii VII. excitatos per 30 annos gessit, et victor confecit : tum contra Saxo-



Præsidium imperii votis optavit! Egenis  
Mox rebus nati accurrunt, geminumque labanti  
Se imperio sistunt columnen, nec mille periculis  
Objectare caput piguit, septennis ut arma  
Salva essent pueri. Rivales ille secundis  
Sic mox disjecit pugnis, ROMANQUE rebellem  
Subjecit, Regemque HUNNUM in sua regna reauxit.  
Cæsar et egregiis ne deesset gratia factis,  
Fratribus ingenteis ditiones donat et arva,  
Arva NORINBERGOS (\*) late cingentia muros.  
Mox nitidis celsam struxerunt turribus arcem  
NASSUACAM, veteris referentem nojam gentis,  
Totque Ducum claram natalibus invictorum!  
ARNOLDUS fato absumptus sine prole, ROBERTUM  
Hæredem statuit, satus et WALRAVIUS illo.  
Lustraque cum jam octo binos dixisset et annos  
Jura suis, metas concessi venit ad ævi :  
LaMna Norlbergæ Lenta InsigniVIt et ossa.

Anno 1110.

---

### WALRAVUS, COMES NASS.

---

**M**AGNA quidem cassi vitali lumine fratres  
Gesserunt, decus Imperii, famamque tulerunt

---

nes, cum quibus novies justis præliis dimicavit. Ut jam de bello Italico sileam, in quo urbem Romam biennio obsessam vi cepit: item de Hungarico quorum Regem a Bela expulsam armit restituit.

(\*) SUABACHUM, CADELSBURGUM et nonnulla alia oppida in agro Noribergensi sita. Peuc.



Æternam : sed qui sequitur Mavortius heros,  
Haud peperit laudem belli sudore minorem.  
FRANCORUM<sup>(1)</sup> auspiciis quot enim subiore labores  
Illi : indefessus tot et hic sub Cæsare forti  
CONRADO<sup>(2)</sup> exhaustit mala, primus semper in omni  
Effulgens acie, BAVARI<sup>(3)</sup> sive arma SUPERBI  
Propulsanda forent, sive armis TURCA petendus.  
Obstitit haud etenim diversi injuria cœli,  
Neve iter immensum, diri neque foeda Tyranni  
Fraus BYZANTINI, <sup>(4)</sup> quin casus impiger omnes  
Magnæ ASIÆ ingenti ferret cum Cæsare, flexi  
Fûneribusque rubras MÆANDRI<sup>(5)</sup> redderet undas,  
Ferro aditus vetitos sacramque aperiret ad urbem  
Inde redux binos cum pulchra e conjuge natos  
Vidisset, pace HENRICUM, MAVORTE ROBERTUM  
Egregios, et lustra novem regnasset et annum  
Ad Superum convexa abyt. gelidum Catharina  
AVrato LoCat heroeM Noreberglâ fano.

Anno 1156.

---

(<sup>1</sup>) HENRICORUM, III. IV. et V.

(<sup>2</sup>) Sub CONRADO III<sup>o</sup> Suevorum Duce.

(<sup>3</sup>) HENRICI BAVARI cog<sup>to</sup> SUPERBI imperium affectantis.

(<sup>4</sup>) MANUELIS CONSTANTINOPOLITANI IMP<sup>ris</sup> cujus nefanda perfidia pars exercitus christiani ferro fame et veneno confecta interiit.

(<sup>5</sup>) PEUCERUS, et Abbâs Frisingensis.



HENRICUS ET ROBERTUS, COMITES NASS.

QUAS oras vasti intentatas linquitis orbis  
NASSAVIDÆ magni? Quia non regione trophæa  
Se produnt vestra? HENRICUS (¹) quem NASSUA tellus  
Amplexa est, in pace quidem sua gaudia duxit,  
OTTONE (²) allectus nato, nataque pudicis  
MANDERSCHEIDIACI Comitum desponsa Hymenæis :  
At sudore patrum SEGODUNI tura ROBERTUS  
Cui parta obtigerant, quot non superavit acerbos  
Bello ITALO casus, FRIDERIGI (³) insignia SUEVI  
SPOLETUM, ROMAM, MEDIOLANUMQUE secutus,  
Necnon VERONAM GENUAMQUE? Hic Marte feroci  
Sic adeo eluxit, Cæsar prima agmina (⁴) sacro  
Mox illi ut dederit bello ducenda per imam  
BISTONIAM. Queis CHRISTIADUM cum robur et ipse  
Junxisset, diros triplici certamine TURCAS  
Fuderunt, victusque pedem vertit SALADINUS,  
ARMENIOQUE solo pulsus terraque CILISSA,  
Urbe et ANTIOCHI. In Syria periere sed ambo

---

(¹) Cui Comitatus Nassavius pro hereditate sua obtigit.

(²) Ex qua coniuge ignoratur.

(³) Imperatori enim Barbarossæ a puero serviisse, et septies in Italiam susceptis expeditionibus interfuisse traditur. In Verona denique Spoleto, Roma, Mediolano et Genua expugnanda insignem operam navasse.

(⁴) Frontem exercitus 60 millium lectissimorum militum.



Heu Tyrio (\*) tecti tumulo! Henrici Catharina  
HVManas saXo eXVVias NVrIbergla CLaVslt.

Anno 1199.

---

OTTO, COMES NASS.

---

AURANII qui facta legens celebranda WILELMI  
VINDICIS (\*) aut nati BELGA admiraris, amaris  
Pro te quod toties sese objecere periclis;  
Huc oculos adverte tuos, miranda popello  
Ne miranda putes. Quis enim sperare minora  
Hac de gente velit, tot lauros Marspiter ante  
»Secula tot cui distribuit? Non ubere fulvi  
»Assolet imbellis nutriri dama leonis.«  
En quantus pro CHRISTIGENIS DUX (\*\*) occidit! udi  
TURCARUM campi ICONII (\*\*) ter sanguine testes  
Cujus erunt dextrae indomitae. Illum filia (\*\*) multis  
Deflevit lacrymis GELDRO mox nupta GERARDO (\*\*)

---

(\*) Secundum Peucerum. Chron. Vero Holl. Imp. Barb. Antiochiæ  
sepultum dicunt di 13. cap. 13. quod crediderim, cum Flo-  
rentius III. Holl. Comes Imp<sup>m</sup>. quoque secutus ibidem mor-  
tuus et juxta Imp. sepultus esse dicatur. Assentiunt et Rhythmi  
Chronologici Holl.

(\*\*) Maurili.

(\*) Robertus Syriacus.

(\*) Ad Iconium enim Lycaoniæ oppidum ter fusus a Christianis  
Turcarum exercitus.

(\*) RICARDA, Suabachi, Cadelsburgi, et ditionum Segodunen-  
sium domina.

(\*) GERARDO III. Nassaviæ et Geldriæ Comiti, cujus pater Otto



Cujus et ante pater fuerat sacra signa secutus.  
Nec minus et patrem HENRICUM ploraverat OTTO  
Justitiæ observans Princeps, gratusque colonis  
Hæres NASSAVIIS. Hic cum genuisset avitæ  
Virtutis natum HENRICUM, natamque (¹) jugali  
Junctam SWARTSBERGI thalamo, et concorditer annos  
Bis septem egisset properata morte recessit.  
Nassoa (²) Inane animæ CorpVs teLLVre reponIt.

Anno 1213.

---

HENRICUS, COMES NASS.  
COG<sup>TO</sup> DIVES.

---

**J**USTITIA et virtus pietas, moresque pudici  
Mortales inter rara, et non fece premeuda  
Foedæ telluris, digna ast melioribus auris,  
Temporibus sanctum in regna immortalia patrem  
Abstulerant. Populus cum natum, Martia cujus  
WORMATI (³) virtus pugnis in equestribus olim

---

Roberti æqualis, et in sacra militia fuerat comes. Anno 1186.  
Vide Chron. Holl. divis. 13 cap. 12.

(¹) Secundum Reus. Haranus nullam dixit.

(²) Divisio bonorum inter Henricum et Robertum hinc manifestior est, quod posteri Henrici post mortem Roberti domicilia et sepulchra sua segoduno in Comitatum Nassavium transulerunt. Mortuus hic Otto anno 1213. secundum Heranum: secundum Reus. 1190 quem annorum rationem non recte subduxisse crediderim, cum in multis Principibus præsertim antiquioribus annos omiserit.

(³) Anno 1209.



Claruerat, titulis HENRICUM insignit auitis.  
Justitia hic et Marte datum dum protulit ultra  
ABNOBAM (¹) solium, gaxisque excelluit omnes  
Ad Rhenum Comites, LOCUPLĒTI est nomen adeptus.  
Nec mirum, cum solus opes possederit omnes,  
Post illum innumeri quos divisere nepotes  
Illius e natjs nati. Namque edidit illi  
GELDRORUM Comitis NASSAVI (²) nata GERARDI  
MECHTILDIS, WALRAVUM et OTTHONEM; sponsa Baronis  
Queis EPPENSTEINI GODEFRIDI accessit Eliza, (³)  
Illa, MAGUNTINUM quæ post enixa GERARDUM  
Electorem. Octo moderatus lustra colonos  
Annos atque duos, superas petiit pater auras,  
ConIVnXlt VIta eXCVssVM arX Nassoa parentI  
Anno 1254.

---

WALRAVUS ET OTTO FRATRES, (⁴)  
COMITES NASS.

---

**D**ESIERAT dici LOCUPLES, jam portio parvi  
HENRICUS loculi. At cœlo locuplete receptus,

- 
- (¹) Reusnerus enim sic ait, Sceptra sui regni ultra Abnobios montes extulit, unde et DIVITIS cognomen talit etc.  
(²) Sic habent Veteres tabulæ Monachi Saulhemii manuscriptæ anno 1314. Suppresso tamen Gerardi nomine, quod ex collatione temporum apposui.  
(³) Hujus nomen et matrimonium liquet ex tabulis hæreditariis inter Walravum et Ottonem anno 1255 confectis.  
(⁴) Male hunc Adolphum vocat Peucerus.



Vere illud meruit nomen. Patrimonia DITIS  
Interea fratres sic divisere <sup>(1)</sup> parentis.  
Omnia WALRAVO cesserunt oppida, lentum  
Quæ sita trans LOINAM, WEILBURGUM, BUCINOBANTES, <sup>(2)</sup>  
ETSTEINA, et latis his quæ sunt finibus arva.  
At quæ cis LOINAM, scēptris subduntur OTHONIS,  
ARX BYLSTEINIA, vetus SIEGENA, et DILLENEURCHUM,  
LOINAQUE se mediis diffudit terminus agris.  
Una <sup>(3)</sup> hac lege tamen, communis ut omnibus aula  
ARX individua et NASSOA minoribus esset.  
WALRAVUS tantā partem prudentia, et æquo  
Jure suam rexit, mox lectus <sup>(4)</sup> Præses ut amplo  
Judicio Imperii fuerit, comitemque jugarit  
CATEMELIBOCAM. <sup>(5)</sup> Nati hac qui sacra colonis.

---

(1) Divisionis hujus tabulæ etiamnum exstant Nassœ anno 1255  
obsignatæ, et sigillis utrinque munitæ.

(2) Ita Weisbadam vocat Junius.

(3) Hæc lex etiamnum integra est, communemque omnes Comites  
Nassavii in arce Nassoa habent jurisdictionem.

(4) Peucero auctore.

(5) DITERICI Comitis Catemeliboci filiam. Sic enim habent ta-  
bulæ Weneri Saulhemii fratris minoritæ anno 1314 in mo-  
nasterio Clarendail ab Adolpho Imp<sup>re</sup>. fundato conscriptæ. Nec  
enim est credendum Peucero sic scribenti. SUB RUDOLPHO  
celebratur Henricus Burggravius sine mentione tamen stemma-  
tis. Hujus filia nupta fuit Adolpho (ita male Walravum no-  
minat) Comiti Nassaensi. et paulo post. Huic ergo nupta pe-  
perit Adolphum Imp. Ut nec Reusnero fides habenda est qui  
Peucerum explicat, et Burggraviū illum Henricum e Marchio-  
nibus Vogburgicis postremum fuisse ait. Facilis enim utrique  
error, in nomine Adolphi 11<sup>di</sup> Imp<sup>ris</sup> nepotis, quem in Ye-  
teri libro manuscripto, Burggraviam Noribergensem duxisse  
invenio.



Jura MAGUNTINIS sanxit THEODORUS, (¹) ADOLPHUS  
WALRAVUSQUE (²) pater patriam cum quatuor annos  
Ter denosque habuisset, inermi animam rapuit mors,  
NassVa et eXtInCtVM Lata ConteXIt In Vrna.

Anno 1288.

---

ADOLPHUS, ROM. IMP.  
COMES NASS.

---

Sic utinam crescant mea carmina, crescere honores  
NASSAU-genum ut video! THEODORUM sancta verenda  
Sede Moguntina pietas evexit; ADOLPHUM  
Cum genus (³) antiquum, meritorum pondera, magnæ  
Et res (⁴) in dubio confectæ Marte, RUDOLPHI  
Cæsaris auspiciis celsa ad fastigia Regum  
Duxissent. Nec tam Proceres electio soli

---

(¹) Ita ex iisdem Tabulis Genealogiam Henrici recensentibus aperte  
liquet.

(²) Pro Walravo Philippum substituerat Haranus: Sed malim cre-  
dere Reusnero, qui ex hoc Walravo et Anna Friderici Zol-  
lernii Burggravii Noriis filia Philippum natum ait. Quem et  
Peuc. in bello Mynico interemptum testatur.

(³) Sic enim testatur Peucerus, Ob nobilitatem generis, et editum  
bellicæ virtutis sub Rudolpho specimen non indignus imperio.

(⁴) Sic enim de illo scribit Cuspinianus. VIR militari disciplina  
satis egregie exercitatus et strenuus. Pleraque enim fortitudi-  
nis suæ indicia jam dudum exhibuit. Priusquam enim elige-  
retur in Regem quinque excellentissimos Ducis Brab. Satrapas  
prostravit etc.



Credita EPPENSTEINO (\*) offendit; quam Rege fuerunt  
Gavisi unanimes. (†) Exarsit solus acerbis  
AUSTRIADES (‡) odiis, sextum quæ pressit in annum,  
Cum conjuratis (¶) adjutus pluribus, arma  
Intulit imperii domino, jam Marte THURINGO (⁵)  
MYSNOQUE infracto, qui animis tamen haud minor, olli  
Structa (⁶) acie occurrit, senas conflixit et horas,  
Donec equo excussus, pro aura (⁷) accipit inscius ense.  
At conjuratis (⁸) Nemesis mox præmia tantæ

- 
- (\*) GERARDO Eppensteino Moguntino Electori Adolphi cognato, qui cæterorum Electorum suffragia astu ad se transtulerat.
- (†) Teste Cuspiano qui sic loquitur. Aquisgrani unanimi Principum consensu a Seufrido Coloniensi Archiepiscopo (qui et suo eum suffragio promoverat, quod jacturam quam Adolphus ipsius nomine perpessus erat resarcire vellet, cum uxore Imagina anno 1292 miro totius Provincie gaudio coronatus est.
- (‡) ALBERTUS Austriacus Rudolphi Imperatoris filius.
- (¶) Ab eodem nimirum Moguntino Argentinensi Constantiensi que Episcopis, et ab aliis quibusdam nobilibus.
- (⁵) In Thuringia enim et Mysnia bellum gesserat; sed parum celebre, et felici carens eventu.
- (⁶) In territorio Wormaciensi inter Gillenhaim et monasterium Rosendail. Quanquam Cuspianus in agro Spirensi dicat qui vulgo Hasenphuel.
- (⁷) Galea enim aperta auras captans, gladio confossus est.
- (⁸) Sic enim testatur Cuspianus. SUNT qui scribunt omnes conjuratores Regis mala morte periisse, quasi fato quodam, Comes enim Albertus de Hagerloch occisus; Otto de Oschenstein suffocatus; Episcopus Moguntinus subitanea morte in sella apoplexi tactus; Episcopus Argentinus a Lavio ministro suo ante Friburgum ense trajectus; Comes de Leinigen frenetide correptus; Albertus a Duce Joanne ensetransfossus est. Idem et Petrus Messias, et Albertus Argentinensis alii que scriptores tradunt,



Perfidiae exsolvit, ferro AUSTRIACUMQUE peremit.  
Caesaris ast superant LYMBORCHA (¹) conjuge stirpes  
WISBADI illustres, et WEILBURCHI, et SAROBRUCCI.  
VALLE (²) patrl aVgVsta eXangVI, splraeqVe sepVLCrVM est.  
Anno 1298.

---

OTTO, COMES NASSUO-DILLENBERGANUS,  
FRATER WALRAVI.

---

INFELIX vetitum insontis qui sanguine captat  
»Imperium! injustæ est Deus ultor cædis.« Inultus  
Haud cecidit CLARÆ (³) fundator VALLIS ADOLPHUS  
WALRAVI sanguis. Frater me vertere versus  
Illius OTTO jubet, cui pars solenniter illa  
Cessit, quam inferior tepidis LOINA irrigat undis.  
Hic Mavorte prior fuerit populoque regendo;  
An pietate gravi, dubium : sic jura paterni  
Protulit imperii, duros frænavit et hostes.  
Divini et totus sic cultus arsit amore,

---

(¹) Ex conjuge Imagina Ducis Limburgensis filia : de cujus posteris vide Reusnerum.

(²) Primum enim in monasterio Rosendail sepultus est, et decennio post Jusu Imp<sup>ris</sup> Henrici Lutzenburgii Spiram delatus, et apud Imp<sup>res</sup> reconditus : cum prid. Albertus ibidem sepultus esset.

(³) Monasterium Clairen-dail intelligo, quod anno 1296 S<sup>i</sup> Michaelis die fundare cepit, et 2<sup>bus</sup> aurearum marcarum millibus donavit, quibus emptæ villæ in Morspach et Byburg quemadmodum liquet ex tabulis prædicti Weneri.



Dum QVINQUE (¹) excelsis posuit fundamina templis  
Dum gerit hæc, thalamo formosam heroida jungit  
Antiqui Comitit SOLICIMI stemmate natam,  
A candore agni cui nomen creditur AGNES.  
Edidit hæc triplici partu tres ordine natos  
Quorum EMICHO (²) natu major, quem deinde JOANNES,  
Consequitur, latus horum HENRICUS tertius ornat.  
Principis Otto novem perfunctus munere lustris  
Annis atque tribus, majorum accessit ad umbras :  
DVXItqVe eXeqVIas fLens DILLenbVrCha patroni.

Anno 1294.

---

HENRICUS,  
COMES NASSUO-DILLENBURGANUS.

---

**I**NGLYTUS oppetiit Princeps, e sanguine cujus  
DILLENBURCHA domus fluxit, magnosque nepotes  
AURANIOS cui debemus. Nec solus adivit  
Mortis iter, Comiti comites haud prole relicta  
Iverunt Emicho Janusque. Hinc scepra parentis  
Suscepit Henricus fausto moderamine felix

---

(¹) Nimirum in Dricdorf, Emrichenhain, Mergenbach, Silbach  
et Herbach.

(²) De Emichone Joanne tradit Haranus. Silet Reusn. et vetus lib.  
Emichonem autem circa hæc tempora vixisse testatur Peucerus  
his verbis. Extat in cœnobio S<sup>te</sup> Catharinæ Noribergæ tumu-  
lus Emichonis Comitit Nassaensis qui decessit anno 1342.  
Reusnerus illum Adolphi Imp<sup>ris</sup> ex fratre Walravo nepotem  
fuisse asserit.



Quæ tenuit, landandi herois munere fungens.  
Laude etiam dignus majore, quod impiger arma  
Tractaret, metuendo esset metuendus et hosti.  
Ille et collapsam flammis hostilibus arcem  
Restauravit avum DILLENBURCHAM, inque nitorem  
Restituit, patriis quo longe prominet arvis.  
ARNSEBERGI (\*) hinc natam Comitis face junxit ALEIDAM  
Præstans unde satus Princeps virtutibus Otto,  
Et minor HENRICUS (°) fœcundo semine, cujus  
Edita clarorum Comitum BYLSTEINA propago,  
Quæ tamen ante aliquot moritura heu! concidit annos  
Ad fontem rediitque suum BYLSTEINA novenos  
Vigintique annos rexit pater, occidit inde. Et  
DILLenVrga DVClis LVgebat fata sepVLl.

Anno 1323.

- 
- (\*) Reusnerus de uxore silet. Haranus habet Arnsteini. Vetus Liber Arnsebergi, quod malim, cum Walravi II. in hoc ordine uxor ultima ex stemmate Arnsteiniensi dicatur fuisse filia.
- (°) Hunc Henricum Ottonis sequentis filium fuisse tradit Reusn. Haranus et V. Lib. man. contra hujus Henrici. Divisit hic cum fratre Ottone patrimonium anno 1344 et arcem Bylsteinam pro sua parte obtinuit. Floruit hæc stirps usque in annum 1525. Ultimique fuere Joannes Bylsteinius, qui ducta comite Nassuo-Weilburgana sine prole obiit: et Henricus frater ejus eques Hierosolymitanus ad Papiam ab exercitu Caroli V. cæsus. rediitque arx Bylsteina ad Comites Nassuo-Dillenberganos.



OTTO, COMES NASSUO-DILLENBERGANUS.

---

**M**ORTALES comitans et inevitabilis hora,  
Defessis requies, et terminus ærumnarum  
HENRICUM abstulerat matura morte, beatæ  
Coelicolas inter visurum gaudia vitæ.  
Huic non inferior magnis OTTONIBUS Otto  
Successit natus, patriæ oblatæque secundis  
Præfuit auspiciis, auctis cum nomine rebus.  
Non etenim claris tantum præcelluit armis,  
Consilio ast etiam, sine quo frustra arma moventur.  
Illius et thalamis Comes (¹) haud invita VIANDÆ  
Unica denupsit, decus adjecitque NAS-AUVIS.  
Namque domum felix lata ditione mariti  
Auxit, et insignem Comitatum et moenia Sancti  
Adjecit VITI : (²) vitales indidit auras  
Hinc etiam natis, ternos quos edidit illi  
Hos inter JANOS princeps, HENRICUS et OTTO, (³)  
Qui simul innocuæ exegerunt tempora vitæ.  
Lustra novem genitor ternos cum prosper et annos  
Rexisset fines, canentia lumina clausit :  
DILLenbVrCha Vri ConDebat et ossa sepVLt.

Anno 1369.

---

(¹) ALFIDA Wetzflariæ in Minoritarum monasterio post mortem  
mariti condita. Vet. L.

(²) Cum parte Baronatus Grimbergioi.

(³) Ottonem non agnoscit Reusnerus sed Haranus.



JOANNES, COMES NASS. ET VIANDÆ ETC.

**F**ATALIS series patris post fata paterno  
Munere functurum prisco de more JOANNEM  
In patrium duxit solium; mors improba fratres  
Cum quoque jam binos mutas rapuisset ad umbras.  
NASSUADUM hic primus tituli insignitus honore est,  
Quem genitrix patri donarat dote VIANDÆ.  
Nec minus hunc felix Comitatum rexit, avitas  
Quam sedes, sanctæ conservans jura severe  
Justitiæ, et sancto violentos ense coercens.  
Inde tori sociam sacrato foedere ducit  
Et MARCÆ illustri et CLIVIORUM sanguine natam  
Heroum, dederat cui CANDIDUS UNIO (\*) nomen.  
Hæc duo lata suo junxisset feuda marito,  
Ni superasset atrox (\*) humana injuria jura.  
Quatuor (³) interea generavit pignora, ADOLPHUM

(\*) Margaritam unicam Engelberti Comitis Marcani filiam, et Comitatus Marcani et Clivensis hæredem.

(²) Nisi Adolphus frater Engelberti natu minor Coloniensis et Monasteriensis Episcopatus candidatus fratrem Engelbertum prævenisset, cui Adolpho si beneficio matris Margaritæ Theodori X Comitis Clivensis filiæ in Cliviæ Comitatum succedere licebat: certe multo magis hæc beneficio patris natu maximi et eadem matre nati succedere debuisset. Sed adeo vis illorum temporum obfuit, ut etiam Chron. Holl. divis. 25. cap. 7. Engelbertum sine prole (quod falsissimum est) obiisse dicant. Et Heuterus eidem in Genealogia clivensi nullos tribuat libros.

(³) Sic Haranus et Vetus liber manus. Reusnerus solum Adolphum et Engelbertum agnoscit.



Et JANUM, eximiumque e fratribus Engelbertum,  
Henricumque alacres generosi Martis alumnos.  
Ipse parens sex lustra suum cum sospes et annum  
Quassisset sceptrum, scepro est potiore revulsus.  
DILLenbVrگا (¹) DVCI eXsoLVIt qVoqVe IVsta CVbantf.  
Anno 1400.

---

ADOLPHUS, COMES NASS. ET VIANDÆ ETC.

---

» GAUDEAT absumptis quisquis feliciter annis  
» Ex mundi semel ærumnis enavigat, altam  
» Per somnum hunc alio visurus in orbe quietem.«  
Jam portum rabidis amotum fluctibus orbis  
JANUS habet : lugens patri successit ADOLPHUS  
Solenni ritu titulis donatus avitis.  
Huic lecti consors heroi candida cessit  
DIETZÆI (²) Comitiss nata, hæres unica patris  
Et forma præstans et moribus heroïna.  
Conjugis hæc et pacis amans solamina vitæ  
Multa dedit, natam inprimis solamen amoris  
Egregium, quam enixa suo de nomine JUTTAM  
Dixit, et Exteini quæ mox devota Baronis  
GODFRIDI est thalamis haud indignante parente  
Sed quia germano caruit, dotale marito

---

(¹) Secundum Haranum obiit anno 1400. Secundum Reus. anno  
1364 quod miror; cum ne pater quidem tum obiisset cui suc-  
cessit.

(²) Male hunc Comitem Diestium vocat Reus.



MUNUS DIETZA fuit, dominosque avulsa reliquit  
NASSAVIOS, donec (¹) rediit comitata vetusto  
CATHORUM Comitatu. Annos tenuisset Adolphus  
Bis denos cum regna, adiit nigra regna silentum, et  
DILLenbVrCha tVLLt LVgens pIa Dona IaCentI.  
Anno 1420.

---

ENGELBERTUS, COMES NASS. ET VIANDÆ.

---

SPEM nati abscederant fatalia numina Parcæ  
Viventi : fluxæ crudeles stamina vitæ  
Mox resecant, linquntque nihil nisi funus ADOLPHO.  
Ultima et obruerant ni fallor fata JOANNEM. (²)  
Ergo hæres fratrum sibi debita sceptrâ capessit  
ENGELBERTUS, et hæc tanto moderamine gessit,  
Mox ut ducta domum juveni sit sponsa, potentis  
Unica POLANI Baronis nata PHILIPPI, (³)  
Insigni excellens pietate et stemmate virgo.  
Illa virum ornavit primum dotalibus arvis  
Polanoque solo, Bredæque et munere Leccæ,  
Et populo late quem sacro jure regebat :  
Inde tribus natis, meliore dote JOANNE

---

(¹) Per matrimonium enim Elizabethæ Hassiæ Lantgravæ, quæ  
hujus pronepoti Joanni nupsit, Dietza ad Nassavios rediit.

(²) De Joanne et Henrico fratribus nihil invenio.

(³) Maria Heutero et Reusnero, Philippi non Joannis (ut male  
habebat Haranus) filia.



HENRICO atque OTTONE, (¹) quibus virtute decora  
Virgineisque genis accessit nata MARIA,  
HANOI thalamis Comitis conjuncta PHILIPPI. (²)  
Hinc etiam castis superans sermonibus Anna (³)  
NASSOVO Comiti WISBADO electa JOANNI.  
Bis pater at denos cum sex regnasset et annos  
OCCIDIT, atqVe eXVCCa VIRI VnXere ossa BredInI.  
Anno 1446.

---

JOANNES, COMES NASS. ET VIANDÆ,  
BARO BREDÆ.

---

PACIFICUM merito plangebat Breda patronum,  
Cum ratus heroas posuisse sua arma Gradivus  
(Quinque etenim in festa vitam exegere quiete)  
Sic secum indoluit. Quæ vos tam blanda voluptas  
Armorum oblitus jucundæ ad sacra Diones  
Abripuit? Nullus priscos parietne triumphos.  
Audiit hoc JANUS, cui jam patria arva regenda  
Obtigerant: Martisque domi licet usus abesset,  
Non tamen invictam voluit torpescere dextram.  
Edidit auspiciis BURGUNDI (⁴) hoc, victor acerbos

- 
- (¹) Ottonem Vetus liber non agnoscit, neque Reusnerus.  
(²) De conjuge Philippi Comitis Hanaviensis silet Haranus, eam-  
que inter Joannis natos enumerat. Ego Reusnerum secutus sum.  
(³) Hæc Maria est Reusnero.  
(⁴) Philippi enim Boni Burgundie Ducis auspiciis anno 1465.  
circa Id. Octob. cum 8 millibus Leodiensium extra pagum Mon-



Cum MONTENNACIS Leodinos stravit in agris.  
At Marti ut quoque amica Venus post bella; pudicam  
HENSBURGAM (¹) hic Comitem sibi sic conjunxit. Et illa  
Engelbertum illi et Janum generavit, et Annam, (²)  
Ottonem cujus meruit vultusque leposque  
BRUNSVICUM. Præter sobolem DIESTANA Joanni  
Conjugio hoc cessit ditio, muriq̃ue SICHENI,  
AMBIVARITORUM et factus Burggtavius inde.  
Obsitus hinc ævo abscessit, (³) et Breda paterni  
RELLIQUIAS perCVLSA DVCEIS proDVCH Inanes.

Anno 1475.

---

tenacum congressus, duo millia hostium cecidit. Quæ strage  
ita illorum fractæ fuere vires, ut pacem a Burgundo 300 au-  
teorum millibus emerint, et Ducem Brabantia protectorem  
sue ditionis agnoscere, et singulis annis illi 1000 lilia aurea  
persolvere polliciti fuerint. Vide Pontum Heuterum lib. 4<sup>o</sup>.  
Expugnationi quoque Dinantii et Leodii in Veteri libro inter-  
fuisse dicitur.

- (¹) Mariam. Cujus frater Joannes Episcopatum Leodiensem am-  
biens, Comitatum Lonium Episcopali sedi in totum donavit,  
atque ea donatione Episcopatus viam aperuit. Sorori tamen sue  
plurima relinquens dominia, nimirum Harstel, Rutten, Stei-  
fort, et alia nonnulla, cum actione de Comitatu Hensberg et  
3<sup>a</sup> Juliaci Ducatus parte vindicanda. Ut in fragmento invenio.
- (²) Sororem huic tribuit Haranus Arianam Philippi Comitis Ha-  
naviensis uxorem de qua S. in Engelberto.
- (³) Engelberto, filio majori Belgicas, minori Joanni Germanicas  
ex testamento relinquens ditiones.



ENGELBERTUS, COMES NASS. ET VIANDÆ,  
BARO BREDE, BURGGRAVIUS ANTUERPIÆ,  
EQUES AUREI VELLERIS.

---

**O**lli parta quies. Princeps belloque togaque  
Maximus Engbertus sequitur. Non signa tueri  
BURGUNDI (¹) hunc piguit ad moenia ducta NŌVESI (²)  
Principem at AUDACEM sequitur dum audacius audax  
Tyro, ad NANCEIUM (³) capitur; moriturque ferox Dux.  
At mox AUSTRIADÆ TARVANNAM castra secutus  
Immotus cladem GUINEGATÆ robore lecto  
Nobilium sarsit, cuncti cum terga paventes  
Vertissent equites, rara et virtute labantes  
Sisteret hic cuneos. Huic post victoria (⁴) palmæ  
HASSELTUM, TUNGROS, GERTRUDISQUE addidit urbem.  
Mox vero AUSTRIACO tentat (⁵) dum Marte Betunam, (⁶)  
Insidiis GALLI captus sese (⁷) ipse redemit.  
Cæsari et hinc gratus donatur Jasonis (⁸) aureo  
Vellere, et orator firmandæ nomine pacis

---

(¹) Caroli Audacis Burgundiæ Ducis.

(²) Vide Chron. Holl. divis. 30. cap. 59.

(³) Cum Comitibus de Chimei, Steenbergem et Balduino notho.  
Vide Chron. divis. eadem cap. 92. et Pontum Heuterum de bel-  
lis Burgundicis.

(⁴) Anno 1479 7. Aug. Vide Comineum libro 6. cap. 6. et Chron.  
Holl. divis. 31. cap. 20.

(⁵) Vide Chron. Holl. divis. 31. cap. 47.

(⁶) Vide Chron. Divis. 31. cap. 73.

(⁷) Octuaginta millibus Coronatorum inquit Haranus.

(⁸) Cum Maximilianus eum ordinem Sylvæ-Ducis celebraret. Vide  
Chron. divis. 31. Cap. 32.



Mittitur ad GALLUM. (¹) BRUGENSES ante feroces  
Principis ad gremium sic ter (²) revocarat, ab illis  
NASSOA Bruxellis exstructa fatetur ut aula. (³)  
Nullam obiit nactus BADENA (⁴) e conjuge prolem;  
Mœsta p̄li herols narrabant fata BreDanl.

Anno 1504.

---

(JOANNES, COMES NASS. VIANDÆ,  
CATHORUM, DIETZÆ, BARO BREDE,  
BURGGRAVIUS ANTUERPIÆ, HOLLANDIÆ GUBERNATOR.

---

**F**ULMINEUM ENGBERTI gladium jam fatifer ensis  
Confregit lethi, haud telo expugnabilis ullo.  
Illius ergo urbes hæres ex asse JOANNES  
Suscipit, haud virtute ille nec Marte secundus.  
Hic etenim AUSTRIACUM ducens in regna PHILIPPUM  
HESPERIÆ, illius gazas (⁵) post fata rapinis  
HISPANUM eripuit, CARLO heredique remisit  
Hujus et auspiciis NEOPORTUM, (⁶) ASPRAMQUE (⁷) sicambris  
Victas asseruit, BATAVUM et moderamina sumpsit.

---

(¹) Ad Carolum VIII. in oppidum Sentis. Vide Chron. divis. 32.  
cap. 13.

(²) De prima reconciliatione. Vide divis. 31. cap. 57. de secunda  
divis. 31. cap. 58. et 69. de tertia divis. eand. cap. 72.

(³) Gratiitudinis enim ergo aulam illam Brugenses Comiti Engel-  
berto extruxere.

(⁴) Ex Limburgi Caroli Marchionis Badeni filia.

(⁵) Vide Chron. Holl. divis. 32. cap. 36.

(⁶) Intra 14 dies. Vide Chron. divis. 32. cap. 46.

(⁷) Vide Chron. Holl. cap. ult.



Hoc autem titulo HASSORUM Landgravia (\*) diti  
Auxit connubio. Nam CATHOS illa marito  
Adjecit DIETZAMQUE suo : mox præmia sacri  
Queis lecti HENRICUM jūxit, fratremque WILELMUM.  
Et binas patria natas virtute decoras,  
HOLSATI una toro quarum sociata MARIA (²)  
Est Comitis; WEIDANOQUE altera juncta (³) WILELMO.  
Ipse gubernaculum cum non sine laude Batavum  
Rexisset pater, et populos tutando novenos  
Annos implesset, denosque; evanida natis  
Umbra ablit, attritū BreDæ serVantVr et artVs.

Anno 1523.

---

HENRICUS, COMES NASS. VIANDÆ,  
CATHORUM, DIETZÆ, BARO BREDE,  
BURGGRAVIUS ANTWERPIÆ, EQUES AUREI VELLERIS. (⁴)

---

**I**NGENS HABSBURGI (⁵) gelido libitina sepulchro  
Præsidium aptasti herois : sed non minus olli  
Præsidium HENRICUS surgit, BRABANTICA rexit  
Qui rura imperio, Germana tenente WILELMO.

---

(\*) Elisabetha, Henrici Hassiæ Landgraviæ, et Annæ Comitatus  
Catimeliboci hæredis filia.

(²) Mariam hanc Comiti Judoco Holsatio et Schouwenbergio nup-  
tam omisit Haranus.

(³) Elizabetha nupta Comiti zu Wied, und zu Morsch, Domino  
zu Runckel und nieder Isenburek.

(⁴) Bruxellis anno 1516 hoc ordine decoratus a Carolo Austriaco.

(⁵) CAROLI AUSTRIACI.



Namque oratores (¹) claros excelluit inter,  
Ardua qui AUSTRIACUM juvenem ad fastigia sacri  
Duxere Imperii. GALLIQUE hinc mula ævirtus  
Cum Martem exciret, victricibus haud minus armis  
Profuit AUSTRIADÆ, capti (²) dum dejecit arces  
Victas ARNEBERGI, GUISANQUE (³) expugnat, iniqua  
Mox hyeme aggressus muros lustrare PERONÆ. (⁴)  
Tres illi sociæ lecti, FRANCISCA SABAUDA (⁵)  
Quarum prima fuit. Latus illi CLAUDIA (⁶) claudit  
AURANIÆ Princeps, CHALONO hæres PHILIBERTO  
Unica quæ insignem natum est enixa RENATUM.  
Tertia MENDOSSÆ (⁷) fuit edita stirpe, ZENETÆ  
Marchio. Hic auratis struxit laquearibus arcem  
Heros BREDANAM, multis quæ fertur in oris.  
Hinc tria lustra suas tutatus fortiter urbes,  
Ah VitaM posVIt tenVes BreDa VnXIt et artVs.

Anno 1538.

---

(¹) Vide Sleidanum lib. 1º.

(²) Comitem enim Arnebergium qui ad Gallos desciverat cepit,  
castellaque ejus plurima solo asquavit.

(³) Intra 14 dies. Anno 1536. Vide Chron. Brab.

(⁴) Quam ob adventantem hyemem et ingens præsidium quo mu-  
nita erat relinquere est coactus. Vide Sleid.

(⁵) Jacobi Sabaudi Romundani Comitis filia : sed sterilis.

(⁶) Joannis Challonii filia, et Philiberti ultimi ex chaloniam fa-  
milia Principis soror.

(⁷) Mentia de Mendossa.



RENATUS NASSAVIUS, DICTUS CHALONIUS,  
PRINCEPS AURANÆ, CÔMES NASS., VIANDÆ, CATT.,  
DIETZÆ, BARO BREDE, BURG., ANT., GELD.,  
HOLL. ET ZELL. GUBERNATOR.

MUSA renascetur mihi quæ sat docta, RENATI  
Laudes cantatura, atavium in quo facta renasci  
Conspicio? Et moriens non tantum agnominis arviq̄ue  
Hæredem AURIACI quem liquit avunculus; (¹) aspræ  
Ast etiam vitæ. Namque illum Marte timendum  
ROMA (²) et PARTHENOPE ut norant, TUSCICQUE coloni :  
Agmina sic GALLI (³) hunc formidavere, feroces  
Cæsare et avecto repentes arma SIGAMERI. (⁴)  
Hos ubi compressit, felici Marte GUGERNOS (⁵)  
Subdidit, HENSBERGÆQUE CLIVENSIBUS (⁶) exiit arma.

(¹) Philibertus Chalonus Princeps Auriacus.

(²) Romæ enim expugnationi, Neapolis defensionis, et Florentiæ  
obsidioni (in qua et interiit) interfuerat. Vide Sleid.

(³) Ducibus enim annumeratur qui capto a Gallis Hesinde, Gal-  
lorum Regi occurrere, et comitatum 300 curruum in cas-  
tra Gallorum tendentium, cæsis aliquot turmis, intrecpere,  
qua clade Gallie Rex castra movere et in Galliam redire co-  
actus est.

(⁴) Nam turbas a Martino Rossemio in Brab. absente in expedi-  
tione Africana Cæsare, excitatas prudenter sedavit.

(⁵) Ducatum enim Juliacum cum Rossemio Gallo contra Hispa-  
nos opitulatum iret, 20 millibus peditum invasit, eumque  
Cæsari totum subegit, et Duram deditione cepit. Vide Sleid.  
et Chron. Brab.

(⁶) Cum Juliacenses se, dimisso propter hyemem exercitu Renati,  
in libertatem vindicassent, excepto oppido Hensbergo quod præ-



Inde novos GELDRIS (\*) LUTZENBURGISQUE triumphos  
Devictis peperit, GELDRUM (²) hinc donatus habenis  
Et BATAVUM a CARLO. LOTHARINGO (³) stemmate creta  
Defuit haud illi consors lectissima lecti :  
Defuit ast natus, verno heu extinctus in ævo!  
Defuit et felix fatum. Nam signa moveret  
Cum Cæsar GALLOS contra, DESIDERIIQUE (⁴)  
Urbem cinxisset, dira glande ecce tremendo et  
Terribilis tonitru tormenti sternitur heros :  
Mox (⁵) exspiravit, tegit ossa exangvia BreDa.  
Anno 1544.

---

W I L E L M U S ,  
COMES NASSUO-DILLENBURGANUS etc. ,  
ECCLESIARUM NASSAVIARUM RESTAURATOR, COG<sup>TO</sup> DIVES.

---

Q U I S non te læsum , quis non te flevit ademptum  
NASSUGENA? Ipso etiam CARLO (⁶) præeunte? Jacenti

---

sidio munitissimum erat, quodque obsidere cœperant; sed frustra. Eodem enim die, quo civitatem triplici assultu oppugnassent, a Renato undique cincti et cæsi, amissis tormentis et commeatu fugam capessere sunt coacti.

(\*) Post reditum Cæsaris ex Africa.

(²) Batavorum adeptus est regimen Bruxellis in sept. anno 1540. convocatis a Cæsare Holl. ordinibus: Geldrorum autem post devictum Ducem Juliacum.

(³) Anna Antonii Ducis Lotharingii et Renatæ Bourbonis filia.

(⁴) Oppidum St. Desier.

(⁵) Anno ætatis 28. 17. Julii.

(⁶) Qui mortem ejus in historiis valde luxisse traditur.



Quæ non persolvit patruus tibi justa, (voluntas  
Quem tua non justa exclusit in morte,) WILELMUS?  
Quid tua? Non tua; sed PAPÆ, qui pluribus auctum  
Illum opibus nollet, PRO CERUM quem in fœdera nosset  
TUISTONIDUM (¹) jurasse, Dei et sacra dogmata veri.  
Janitor at quamvis coeli illi invidit, Olympi  
Non tamen invidit Rector: nam divite (²) DITEM  
(Hoc illi cognomen erat) terra auxit, et acris  
Militiæ natis Ducibus, quos JULIA (³) quinque  
Cum septem (⁴) Comitum sponsis STOLBURCHA, (⁵) prioris  
Conjugis enixa est post fata. Hos maximus inter,  
Cui sua CHALONUS (⁶) legavit regna WILELMUS.

---

(¹) Protestantium enim fœderi accesserat. Sleid.

(²) Catthorum Comitatu, de quo illi multis ab annis contra Landgravium lis fuerat, quam Cæsar tandem decedit, adversus Landgravium lata sententia. Vide Sleid.

(³) Sive Juliana filia Bothonis Stolbergii Comititis.

(⁴) Ita quidem habet Reusnerus

Mariam, Comiti Wilelmo Bergensi nuptam.  
Annam, Alberto Comiti Nassavio et Sarbruccio  
Elizabetham, Conrado Comiti Solicimo Braunfelsio  
Catharinam, Gunthero Bellicoso Comiti Swartzenburgio  
Julianam, Alberto Comiti Swartzenburgio  
Magdalenam Wolfgango Comiti Hoenloensi.

quibus Walpurgim annumerat Hermanni Comititis Neunarii conjugem: quam ego rectius Magdalenam, ex priori conjugis Walburga Egmundana natam (quam Reus. male sine prole obiisse tradit) dici existimo. Ita enim in libro ab ævi illius auctore scripto, invenio. Assentit et alter scriptor, qui primam ex septem filiabus nomine Hermannam paulo post obiisse dicit.

(⁵) Walpurgis; Joannis Egmundani et Magdalene Comititis Wardenburgæ filiæ, quæ duas filias Elizabetham immatura morte abreptam, et Magdalenam peperisse dicitur.

(⁶) Exhæredato enim Wilelmo patruo suo, quod a Protestantium



Hunc JANUS sequitur GELPRIS modo clarus habenis,  
Nunc lætus patris imperiis. LUDOVICUS acerba  
ARNBERGI cæde insignis, MONTISQUE triumpho  
Hinc subit. Heu MAUCI hunc rapiunt, ut FRISIA Adolphum.  
Et MAUCI Henricum! Dillenburchæ pater annos  
TrIGinta et septem regnat, Letho InDe perIVit.

Anno 1560.

---

WILELMUS, (1) PRINCEPS AURANIÆ,  
COMES NASS., VIAND., CATT., DIETZÆ, MARCHIO VERÆ  
ET VLISSINGÆ, BARO BREDE ÆTC., BURGG. ANT.,  
HOLL., ZEL., ET TRAIECTI GUBERNATOR.

---

**P**ARCE tuis lacrumis pietas, tuque optima parce  
Religio, vestro hoc extincto vindice. Natus  
En surgit, cujus pietas spectata per ignes,  
In factis immota fides, exercita bellis  
Dextera, in adversis constantia maxima rebus,  
Consiliumque sagax nullo morientur in ævo.  
Artibus his gravidum ingenii spectator in aulam  
Jam puerum AUSTRIADES adscivit Cæsar, honores  
Atque illi merito tanta dedit indole dignos.  
Ast illo abrepto, gladio cum HISPANUS et igni  
Sæviret, premereque fidem, BELGASQUE leones  
Temneret, hic sancto MAGNATUM foedere victus

---

partibus staret, Wilhelmo Nassuaco patrueli suo, 11. annorum  
adolescenti omnes ditiones suas testamento legavit.

(1) De hoc Principe. Vide Chron. Vernacula, Germanica, Gallica,  
Italica et Hispanica.



Triste jugum avertit, ceu murus aheneus. Atrox  
Hinc ruit ALBANUS, duri et proscripto Regis  
Queis impar exul cessit ploratus. Et armis  
Bis licet incassum reditum tentaverit: illum  
Mox tamen adjutor causæ revocavit inermem,  
Invictumque stitit Deus. Heu sicarius auras  
Regius heroi Delphis tandem eripit, auream  
QVI LibertateM nobis InDVXerat aVreVs!

Anno 1584.

---

PHILIPPUS WILELMUS,  
PRINCEPS AURIACUS, COMES NASS. ET BURÆ ETC.

---

**H**eu scelus infandum! Heu lethum lacrumabile! duras  
Quod moveat cautes, durum et quod flere Gradivum  
Compulerit, cecidisse dolo cum viderit illum,  
Agmine quem nullo horrendus vicisset Iberus.  
Heu luctum invisum! Plures patriæne querelas  
An viduæ et prolis dicam? Communis ubique  
Est gemitus, planguntque simul juvenesque senesque,  
Quidque velit lupus ablato pastore susurrant.  
Debita tu solus patri haud dare justa PHILIPPE  
Nate potes, conjunx quem prima eduxerat ANNA (\*)  
Sanguinis EGMUNDI, et LEVACI quem arcana Lycæi

---

(\*) Maximiliani Egmundani Comitis Burani filia unica, quæ Comitatum Buranum et 5 Baronatus loco dotis ad maritum attulit: nimirum Iselsteinium, Cranendonckium, Lanoium, Rou-lancourtum et S<sup>t</sup>i Martini aggerem.



Discentem ALBANUS TARTESSIA traxit in arva,  
Moesta tuas germana (¹) vices modo juncta Dynastæ  
HONLOO explevit. Cui Moestus SAXONIS ANNÆ (²)  
Filius, et FRISIUM Tutoris (³) sponsa WILELMI  
ÆMILIA cum germana haud cessere gemendo.  
Ut nec BOURBONIO (⁴) sex cretæ sanguine natæ,  
Una PALATINO quarum data, BILLONEO  
Unaque. Et hinc planxit COLINEÆ (⁵) filius, omnes  
Tristia quos utinam, o Princeps, post nubila visas!

---

MAURITIUS, PRINCEPS AURIACUS,  
COMES NASS., VIAND., CATHOR. DIETZÆ ETC.,  
MARCHIO VERÆ ET VLISS., BARO BREDE ETC., GELD.,  
HOLL., ZEL., ZUTPH., TRAIECT. ET TRANSIS. GUBERNATOR ETC.

---

AURICOMI sæva jam tempestate fugata  
Conspicio Phœbi radios, portusque laboris.  
Et patriæ et nostri se magni ex SAXONIS alta

(¹) Maria.

(²) Mauritii Electoris Saxonie Ducis et Agnetis Hassie Landgraviae filia.

(³) Anna, quæ patrueli suo Wilhelmo Nassuaco Frisiae Governatori nupserrat, et Cal. quinct. anno 1588 obiit.

(⁴) Matre Carola Ludovici Bourbonii Ducis Mompenserii filia: Harum nomina sic sonant. Ludovica Juliana, illuss. Principis Joannis Frideri Electoris Palatini conjunx. Elizabetha Nassavia fortissimi Ducis Billonei uxor Catharina Belgica, Brabantina, Flandrina et Emilia ejus nominis 2<sup>da</sup>.

(⁵) Fridericus, genitus matre Ludovica Colinea, Caspari Colinei Castellonei Domini, et Gallie Admiraldi filia.



Offert stirpe nepos. Postquam applaudente SENATU  
Illustri PROCERUM BELGI hic sublime parenti  
Ante gubernaculum servatum sumpsit, IBERIS  
Quot stragis, mortem patris ultus, struxit acervos?  
Quotque armis patriæ junxit victricibus urbes?  
BELGICA quotque modis provexit FOEDERA felix?  
Tu victor toties FARNESIE victus in agris  
Sensisti hoc BATAVIS. Et tu VARASSE relictis  
Tot signis TURNALTANIS concisus in arvis.  
Tuque urbes inter GRUNINGA haud infima victas,  
Nec (') palmis positura modum; si vivere tantum  
Fata heroa sinant, res quo crescente videmus  
Crevisse et nostras; sacri et ceu sideris ortu  
Infestas nostræ navi cecidisse procellas.  
Hoc precor o SIDUS BELGI: te numina servant  
Incolumem, tandem ut victus procumbat IBERUS,  
Et (²) te grandæVVM sVsplet BeLGlCa tota.

---

(') Non me fefellit vaticinium, docuitque nos hujus anni 97.  
mirabilis eventus, cum præter insignem illam stragem Ti-  
leam novem simul tribus mensibus urbes ex faucibus Hispani  
vi armisque extorsit. Cujus rei memoriam quatuor versibus  
libuit attexere.

Sit laus Deo, qui NASSAVO forti Duce  
Cruenta Tilæ signa ter dena et novem  
Urbes trimestri uls Rhenum tres, citraque sex  
TeMendo exCVsilt Ibero

Adsit Deus et in sequentibus.

(²) Centenarium in hoc versu a navitate Principis expressi nu-  
merum.



Ende des ersten Theils.

Das Ende des ersten Theils  
des Buchs ist die  
Beschreibung der  
Provinz von  
Belgien.

Das Ende des ersten Theils  
des Buchs ist die  
Beschreibung der  
Provinz von  
Belgien.